



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

I. De anno, diebus festis & ablinentiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)





INSTITUTIONUM  
JURIS ECCLESIASTICI  
PARS ALTERA.



C A P. I.

DE ANNO, DIEBUS FESTIS  
ET ABSTINENTIIS.

I.



SATIS de personis: nunc ad res, Rerum  
divisio.  
quæ sunt alterum juris Ecclesiastici  
objectum, deveniendum. Res sunt  
vel *spirituales* vel *temporales*. *Spirituales*, quæ  
recta diriguntur ad animarum salutem, ut sa-  
cramenta, ut prædicationes, preces, ritus sa-  
cri. *Temporales* sunt, quæ ad sustentationem  
clericorum & pauperum, ad jugem ignem, ad  
cetera, sine quibus publicus cultus peragi ne-  
quit, destinata; ut decimæ, oblationes, redi-  
tus ex beneficiis. Sunt etiam res *sacra* spiri-  
tualibus inferiores, temporalibus potiores,  
ut vasa sacra, ornamenta sacra, ædes sacra,  
cœmeteria. De singulis sigillatim.

II. DE spiritualibus acturi non dice- Res spiri-  
tualis.  
mus de *gratia*, *fide*, *caritate* ceterisque virtu-



tibus, quæ sunt anima religionis Christianæ; sed de iis, quæ incurrunt in sensus, & de quibus in judiciis lites agitari possunt. In his familiam ducit officium divinum, quandoquidem episcopo ante omnia diversi generis preces publicas commendat Paulus<sup>1</sup>.

1) 1 Tim. II. 1.

Caput anni ecclesiastici.

III. DIVINUM officium pro dierum diversitate per singulorum annorum decursum est diversum<sup>1</sup>. Anni ecclesiastici caput non est Januarius, qui anni civilis; sed *December*, & quidem *dominica adventus*, quæ est instar præparationis ad *festum nativitatis dominica*. Ea proxima est ad anniversarium Sancti Andrea-ni, quod XXX. vel ultimo Novembris die celebratur, inciditque vel in triduum præcedens vel in triduum subsequens, in tempus scilicet, quod inter XXVII. Nov. & III. Dec. interjectum; verbo, in primam dominicam, quæ est a tergo vigesimi sexti Novembris. Ob mutationem *literarum dominicalium* hoc instituto opus fuit, ut Adventui tres hebdomadæ integræ & quarta saltem inchoata detur.

1) Vid. rubric. breviar. & missalis.

Pascha

IV. DIERUM festorum celeberrimus est *paschalis*, a quo pendent reliqui *mobiles* omnes; inde dicti, quod certis temporibus affixi sunt. Pascham præcedit *jejunium* quadagesimale, ad quod præparantur animi tribus hebdomadibus proxime antecedentibus, quarum caput est *dominica septuagesima*, quæ est instar novi principii anni ecclesiastici. Pa-



scham quadraginta diebus adscensio Domini; quinquaginta, Pentecoste subsequitur. Cate-  
ræ dominicæ usque ad Adventum & ab Epi-  
phania usque ad Septuagesimam numeris di-  
stinguuntur. Ergo in figendo die Paschali præ-  
cipuus labor.

V. IN quo duo præcipiuntur, ut sit *dominica*; ut sit ea, quæ decimum quartum quomo-  
do figen-  
da? lunæ Martii proxime insequitur: in quo non  
calculus *Astronomicus*, sed *Ecclesiasticus* sequen-  
dus, qui non semper ad cursum lunæ appa-  
rentem directus est. Dominica esto, eo quod  
Jesus Christus postridie Sabbathi, primo die  
hebdomadis, quo mundus creari cœptus, ex  
inferis rediit. Dominica illa quantocyus post  
XIV. lunæ Martii h. e. post *Plenilunium* pro-  
ximum æquinotio vernali, ex institutione  
primæva, quæ in XIV. illum diem incidit<sup>1</sup>,  
celebranda est; sed non ipso illo die XIV.  
etiãsi sit *dominica*, quia constat, Christum  
postridie Paschæ Judæorum ab inferis fuisse  
suscitatum: unde Pascha nostra non potest in-  
cidere in Pascham Judæorum. Tribus priori-  
bus sæculis plures Ecclesiæ ex instituto He-  
bræorum ipso XIV. Pascham celebrarunt.  
Qua de re magni fluctus orti, quos compo-  
suit concilium Nicænum, damnataque obser-  
vantia Hebræorum dominicam elegit<sup>2</sup>.

1) *Exod. XII. 6.* 2) ATHANAS. *de Synod. p. 873.*  
EUSEB. *de vita Constant. 3. c. 18.*

VI. SED quum annus *Astronomicus* olim dif-  
ficile. annum civilem, quo utimur, horis V. minu-



tis XLIX. superet; VI. horas completas computare placuit, ut quaternorum annorum, ultimo, qui bissextilis est, dies integer intercalari posset, neglectis XI. illis minutis, quæ annus Astronomicus non habet. Sed ex his minutis duodecim sæculorum spatio X. dies nati, qui Novilunia præcipitarunt. Qua de causa an. 1582. GREGORII XIII. auctoritate fasti emendati, quibus, quoad ejus fieri poterat, simili errori in posterum obviam itum. Soluta Nicæno concilio patriarcha Alexandria, ubi Astronomorum principes florere, quotannis diem veram indagavit, eamque Romano patriarchæ; Romanus longinquiribus significavit Episcopis, *litteris*, quæ a re *paschales* appellatæ<sup>1</sup>, & solemniter in singulis cathedralibus ab archidiacono publicatæ, qui dominica *Epiphania* indicavit omnia festa mobilia<sup>2</sup>. Post reformationem Gregorianam ex fastis perpetuis & calendariis, quæ singulis annis evulgantur, nemo non exactissimum cum anni civilis, tum ecclesiastici, ordinem addiscere potest.

1) LEO ep. 64. al. 94. c. 24. D. 3. de consecrat.

2) Pontif. Rom. part. 3. init.

Dierum  
festorum  
& feriarum  
differen-  
tia.

VII. SUNT festi dies, omnibus per totum orbem Christianum & omni tempore sacri, ut Pascha, Pentecoste, dominicæque omnes; item jejunium quadragesimale & *abstinentia ante sabbathina*, idque veteri traditione, quam ab apostolis profectam autumant<sup>1</sup>. Ceteri maximam partem nec semper, nec ubique observantur, quippe a certis Episcopis certis populis traditi: Sic singulæ provinciæ



celebrant *anniversaria sanctorum*, qui in iis plantarunt Ecclesiam, aut quorum reliquiis gloriantur. Sic ex certis causis in certis locis vigent feriæ aut jejunia, ceteris omnibus ignorata. Summa hujus doctrinæ est, ut suæ quisque in his rebus Ecclesiæ instituta moremque sequatur<sup>2</sup>.

1) c. 6. 7. D. 3. de consecrat.

2) AUGUST. ep. 34. 35. ad Januar.

VIII. SUNT festi dies, qui in Ecclesia solum diverso officio celebrantur; sunt & *feriati*, veluti dominici, quibus nec serviles labores, nec cetera negotia expedienda, nec in sacris aut sæcularibus tribunalibus actus judiciales suscipiendi, nec nundinandum aut commercandum<sup>1</sup>. Sancte in his versandum, nec ferendum, ut commissionibus & tripudiis transigantur<sup>2</sup>. Urgente necessitate, veluti si fruges ingenti periculo expositæ, aut optima piscandi occasio, Episcopus veniam metendi & piscandi diebus festis, immo etiam diebus dominicis, licet de jure divino feriatae sint, concedere potest, quandoquidem Christus auctor est, sabbatum homini, non hominem sabbato datum<sup>3</sup>.

Illi officio, hi cessatione a laboribus celebrantur, quam remittere.

1) C. 15. q. 4. c. 1. C. ult. X. de feriis.

2) c. 2. D. 3. ex concil. Toler. IV.

3) MARC. II. 27. C. 3. X. de feriis.

IX. IDEM dicendum de jejuniis & *abstinentiis*, a quibus episcopi singulos ex justa causa liberare, & *curatis* eandem potestatem intuitu ægrotantium conferre possunt<sup>1</sup>. Nonnumquam ob annonæ difficultatem universæ

& ab abstinentiis liberare potest episcopus



diœcesi indulgetur. Dominica tamen die nullum jejunium, nec die, Christi natalibus sacro, etiamsi sit *antefabbatinus*: quod ecclesia latina ceteris festis non dedit<sup>2</sup>.

1) C. 2. X. de observ. jejun. 2) Dist. 30 c. 7. C. 1. & 3. X. de observ. jejun.



## C A P. II.

## DE DIVINO OFFICIO.

## I.

Series  
precum  
publica-  
rum,

in libros  
relata.

**P**RECES publicæ, quarum seriem *officium* seu *cultum divinum* appellamus, ex traditione apostolica inde ab ecclesiæ incunabulis observatæ, pro provinciarum diversitate diversum habitum induerunt. Clerici omnes & omnes monachi psalmos *memoriter* cantarunt, & ordine libros scripturæ, diversis temporibus assignatos, legerunt, ceterasque carimonias, in majoribus observatas, peregerunt. Multo post observantia illa in regulas monasticas, veluti in regulam Benedicti, qua c. 8. 9. seq. longo ordine omnis ratio Psalmodiæ enarratur, & in libros publicos ecclesiasticos, veluti in *psalterium*, *lectionarium*, *antiphonarium*, *sacramentarium*, aliosque, relata est, in quibus paucis verbis literisque *rubentibus* precum gestuumque comitum ordo modusque notantur. Unde natæ sunt *rubricæ*, hujus rei unæ, eademque fidelissimæ, indices. Quas particulatim cum cunctis carimoniis describere, longum foret, & justî voluminis opus. Summos saltem apices attingere juvat.